... Paramythe-
ticon in obitum Andreae
Grzymułtowski.

Posn. 1619.


V
B
J
C
18257

PARAMYTHETICON.

IN OBITVM MAGNIFICI D.

D. ANDREÆ

ILLVSTRIS AC MAGNIFICI DOMINI D.

IANVSSII GRZTMVLTOWSKI

Olim Castellani Bigdost. Capitanei Sroden. Filii.



A

PROCOPIO SKEPSKI oblatum.

POSNANIÆ

In Officina Ioannis Wolrabj. Anno 1619.

IN STEMMA GENTILITIVM.



ARbor præcelebris ramis cur ſtemmate ſplendet?
Vertice crux tangit Sydera clara Dei?
Scilicet hoſtiles dependent arbore prædæ,
Victricemq́, ferunt pulchra trophæa crucem.
Felix veſtra domus, felix GRZYMVTOVIA *proles*
Felix & nimium Marte beata pio.



REVERENDISSIMO DOMINO.

D. IOANNI
DIVINA PROVIDENTIA ABBATI LANDENSI.

Magnificis Dominis.

DD. STANISLAO
CAPITANEO SRODENSI.
CHRISTOPHORO &c. &c.
Grzymultowsciis Fratribus Germanis.

SArmaticis oris GRZYMULTORUM clara propago.
A prisca ducens nobilitate genus.
Te te progenies fraterno fœdere iuncta,
Patronum poscit nostra Camæna sibi.
Suscipias quæso vatis studiose laborem,
Huncq́ precor placido cum vacat ore legas,
Te pia commendat probitas, te splendida virtus,
In te sublati patris imago nitet.
Est tibi virtutis studium pietatis, & ardor
Cordi, te gratæ pacis & ornat amor.
Magna quid prodest curarum mole grauari,
Tristia quid fratris, funera flere iuuat.
Magna quidem fateor, data sæuæ est ansa querelæ,
Dum patriæ rapuit, mors violenta decus.

Sed

Sed quia stelliferum terris reuocamur in orbem,
Solliciti merito cura doloris abit.
Nam quanquam gelidum, parua requiescit in vrna
Corpus, apud superos gaudia flatus habet.
Amplius haud nostro esse habitator in orbe cupiuit,
Sic placet Empyreæ mansio certa domus,
Non penitus sed abest, restant monimenta laborum,
Nomen, præcelebris fama decusq; vigent.
Pallada qui semper coluit Phœbiq; sorores,
Contempsit toties, Marte fauente Getas
Non ego magna fero, potiores magna sonabunt.
Sæpius & paruis gratia rebus inest.
Viuat dia domus memoranda stirpe celebris,
Viue tuis proles, viue valeq; diu.



PA

PARAMYTHETICON.

OCcidit heu præſtans, Grzymultouius occidit heros.
Viuere Neſtoreos qui debuit integer annos,
Quis vetet in lachrymas vatem prodire? ſimulq́;
Flebilibus carmen numeris lugubre ſonare?
Plangite Pierides lachrymabile plangite carmen,
Ac gemitu veſtro, terras implete Polonas.
Poſtquam diſrupit florentes Atropos annos
Egregij iuuenis, ſubitó color occupat artus
Horridus, inq́; humeros ceruix collapſa recumbit.
Tota domus ſquallet luctu, magnusq́; per omnes
It gemitus, vapulant crebris ſingultibus aſtra.
Præſertim genitrix, curarum mole grauata,
Sollicitam mentem, nunc huc nunc diuidit illuc,
In partes rapitur varias eſt vndiq; triſtis.
Pectore dimanant lachrymæ, miſerabile carmen
Integrat, & mæſtis laté loca quæſtibus implet.
Heu quam vita fugax breuis heu quam tranſitus æui.
Labitur heu curſus vitæ, ceu fumus in auras.
Vmbra velut cedit cedunt ſic pignora vitæ
Ceſpite gramineo reuireſcunt prata quotannis,
Deponit ſenium ſerpens, reparatq́; iuuentam,
Artibus haud vllis genus eſt reparabile noſtrum,
Certa ſed incerto veniunt in tempore fata,
Temporis eſt punctum quod viuimus, vndiq́; morte
Angimur, haud ſcimus truculenti funeris horam,
Incipis eſſe, trahis vitam, mox deſinis eſſe;
Purpureus veluti cum flos ſucciſſus aratro

Lau-

Languescit moriens, & dulcem perdit odorem.
Heu quam surripuit, patriæ mors nobile lumen,
In cursu laudis cecidit, quem haud vlla pericla
Sustulerant, quem non Getici rapuere furores.
Heu mortem inuisam genus insaciabile, nostram
Sicne tibi placuit toties dispergere in auras
Progeniem? non dilecti mouere mariti
Funera, non chari violata ô stamina nati
Gaudia nunc media cecidere abrupta iuuenta.
Ite ite in lachrymas, fletusq; ciete Coloni,
Mortuus est iuuenis, qui mitia corda gerebat,
Impiger hostiles auertit sæpe tumultus,
Dignus hyperboreis clarescere dignus in oris.
Non iam bellando Moschcum penetrabit in orbem,
Non patrias terras virtute iuuabit auita,
Extinctum lumen, sublata est gloria nobis,
Ite ite in lachrymas lugubria fundite verba,
Qui Musas colitis, qui plectra sonantia Phæbi,
Mortuus ANDREAS studiorum summus amator,
Ite ite in lachrymas, quæstusq; ciete supremos,
Nil nisi flere iuuat, tristemq; emittere luctum.
Tantus amor matris regnabat pectore, tantus
Mæror erat, nec non obmutuit illa dolore,
Et pariter vocem, lachrymasq; introrsus obortas
Deuorat ipse dolor, duroq; simillima saxo
Squallet, & aduersa figit nunc lumina terra,
Interdum madidos extollit ad æthera vultus,
Nunc memorat nati mortem, funusq; mariti,
Non tam tristis erat grandi Ceres obsita luctu,
Non tantis Hecube singultibus Hectora fleuit.

Prot

Protinus affulgent ignes, & conſcius æther
Lætitiæ, clarus ſplendor toto orbe relucet,
Tum nati Genius ſuperis demiſsus ab aſtris
Aſtitit, at genitrix lachrymans. Quis ſedibus hoſpes
Ecce nouus noſtris ſuceſsit, lumina tanta
Quidue ferant, & quid portendat ſplendidus æther,
Credo etenim nec vana fides genus eſse Deorum,
Dixerat, at fractæ fugiunt è corpore vires,
Corda pauor tangit. Genius lenire dolentem
Solando poſcit dictiſq; auertere luctus.
Tum ſic effari & curas his demere verbis
Eſte procul fletus, tenues ceſsate querelæ
Sit modus & lachrymis, queruli diſcedite luctus,
Non amiſsus obit nec obit verum oſsa quieſcunt,
Non amiſsus abit nec abit mens ceſsit ad æſtra,
Cuius non animum traxit contagio mundi
Soter in occurſum venienti prodit IESVS,
Exceptumq; vehit ſublimia ductor in aſtra,
Lugeat extinctos, ſacras reſcindere leges
Qui cupiunt, quos non fluuialibus abluit vndis
Pura manus, nec ſacra ſalubriter eſca refecit.
Pignora vos pretioſa eſtis, ſæuoq; redempti
Mortis ab imperio, ſupremi ſanguine Chriſti.
Deſine flere necem nati, penetrauit in aſtra.
Grata Deo ſummo fuerat clementia grata,
Enituit probitas animo, virtutis & ardor,
Qui teneræ vernans iucundo flore iuuentæ,
Dum faciles fuerant anni, dum mobilis ætas,
Exoſus vitium, fuit haud monitoribus aſper,
Florenti quem non æuo de tramite recti
Corri-

Corripuit crimen, non hic leuitate tumebat,
Lucebat grauitas fastu iucunda remoto.
Singula quid memorem numeris, qui missus in oras
Teutonicas, iussusq; sacris incumbere Musis
Otia non aluit (nam nutrimenta malorum
Sunt illa & stygio dant pinguia pabula Diti)
Sed veluti æstiui patiens formica laboris
Ore trahit quodcunq; potest tectisq; reponit,
Insigni studio, cura, magnoq; labore
Attulit in patriam, claros virtutis honores,
Ista puer. Quid iam Musas dum deserit, illum
Fama decus patriæ truculenta ad bella vocarunt
Moschorum, cædes variæ, Schyticiq; tumultus.
Ergo dum patrias celebrandus transit in oras,
Moribus insignis, quos raro viderit ista
Ætas, & quales semper frustrata requirit.
Hunc non blanda alijs docta illecebra atq; iuuenta
Illicuit sæuas in culpas, fassa magistram
Se quanquam scelerum, & quodcunq; licentia poscat
Et non delitias persuasit Cereus ire
In vitium quamuis animus, non otia pigra
In sua fecerunt vnquam concedere iura,
Quid fles non moritur *viuit post funera virtus.*
Nonne vides quantis se attollat gloria rebus?
Sunt tibi adhuc celebres gemino sanguine nati,
Vnus qui Diuum tractat mysteria rité,
Ille malos odit, reliquis parat ille salutem,
Assiduus scelerum segetes extirpat in agris.
Alter quo grato congaudet Sroda Patrono

Præ

Præcelebris cuius ſtimulat præcordia virtus,
Iſte toga ſemper permagnus, maior in armis.
Alter bellando Schyticas iam tendet in oras
Hem vocat in rigidam vindex Bellona palæſtrām
Mars tradit ſcutum, ſtrictum dat Mulciberenſem
Perſeus præbet equum Phæbus fera tela miniſtrat.
Sed quid te verbis multis mea lingua moratur,
Conceptas nunc iam lachrymas depone, grauesq́;
Curarum morſus, patriæ haud eſt gloria rapta:
E latebris mundi ſuperas conſcendit in ædes,
Quod fuit é terris, corpus modo terra recepit,
Qui fuit è cælis, petiit nunc ſpiritus aſtra
Inuidet æternæ morienti fædera pacis,
Inſtabili terræ iuuenem qui deflet ademptum,
Non gemitus curat, non anxia verba requirit.
Eſte procul fletus, felicem flere cauete,
Quin potius Domino grates ſuper aſtra feramus,
Fallacis vitæ, tenuem qui perdidit vmbram,
Viuere non didicit, quem terrent ſpicula mortis.
Sit modus hic flendi nimios abſtergito luctus
Dixerat id Genius, cedunt mox corde querelæ
Tum gelidus toto manabat corpore ſudor
Corripit é terra corpus, tenditq́; ſupinas
Ad cælum cum voce manus Dominumq́; precando.
O qui perpetua cælum ratione gubernas,
Terrarum cælique ſator, grauiúmque dolorum
Depulſor quas dem tibi nunc pro munere grates,
Quando iubes animo proprium depellere luctum.
Vota Deo perfert Genius tum nubila tranat
Ingentemq́; fuga, ſecuit ſub nubibus arcum.

Iáśnie Wielmozney Pániey Iey Mośći Pá-
niey P. BARBARZE Z GRVDNIA
Grzymułtowskiey Kasztell: Bydgoskiey. &c. &c.

Nie miey Wielmożna Páni zá złe śmierći
Ze często w domu twoim mogiły wierći/
Przed tym Małżanká á w tey dobie płemie
Kładac pod ziemie.

Ani ćieszkiemu żalowi day wodze/
Ktory ćie trapi y frásuie srodze/
Bo ten iák płatny nie może bydź tobie
Ták tym co w grobie.

Nie z siebie to ma śmierć gdy nas krepuie
A bez porzadku kiedy zechce żuie
Sam Bog tym włada/ od ktorego stronić/
Iest niebo ronić.

Człowiek cnotliwy choćiasz sie pośliznie/
Nie iuż vpada áni podległ bliźnie
Pan go ratuie y w wszelákiey toni
Vżycza dłoni.


A iáko okret wpadszy miedzy skáły/
W szalonym szturmie wychodzi wiec cáły:
Ták iego troská za gárdło nie chwyta
Choćiasz obfitá.

Mowia/ spolny raz nie ták ćieszko boli:
Przebog wszyscyśmy wszyscy w tey niewoli:
Parká nie dawszy pierwey znáć o sobie
Káżdego zobie.

W iedney godzinie geste stádá pedzi
Nie nośi z soba pretu áni piedzi/

Trá

Tráfi sie iey Pán/ chudy/ mądry/ głupi
Zárowno kupi.
Więc kogo ßczęście w dobrey chowa klubie/
Nie chyląc áni przywodząc ku zgubie
Nie powie práwym o weselu táki/
Lecz kiedy haki
I ciężar włoży Fortuná nan srogi /
Obaczy iáko kleynot zgubił drogi
Dopiero/ wyży rożáną po gradzie
Pogodę kłádzie
Szwánk tedy puścić ten mimo sie godzi/
Ponieważ y z nas ná káždego godzi
Zdárzy Bog zážyć po wsmetkách burzliwych
Wiekow ßczęśliwych.



atque ita vetus obligatio innovata cen- sit, ceu quum venditor emtori pretium emtionis venditionis pro mutuo foenera- titio concedit.

§. 528.

Hæc mutatio-novatio crediti, debiti adpellatur, aut contractus novationis. At- que hoc contractu cessat prior principa- lis obligatio, & nova simul incipit.

§. 529.

Jura ab [illegible] obligatione priori prin- cipali conjuncta, [illegible] fidejussionis, pigno- ris & similia, contractu novationis absque participatione consensu omnium, quorum in- terest, [illegible] renovantur; at neque abolen- tur aut [illegible], sed quatenus nemini onus [illegible] novum aut incommodum ex- [illegible] exercen possunt.

§. 530.

[illegible] contractus novationis irritus esse de[illegible], obligatio prior principalis du- rat & efficax est. Quoad interea fide-